

ter, succedat Petro in primatu totius Ecclesiae; ergo jure humano, non divino, succedit in primatu.

Resp. Dist. ant. Ut succedat in primatu, quoad ordinem successionis, conced. quoad ipsam successionem, nego *ant.* nam ut observat Bellarm. lib. 2. de Rom. Pontifice, cap. 12. *Aliud est successio, alius ordo successionis; nam successio Rom. Pontificis in Pontificatum Petri ex instituto Christi est; ratio autem successionis, qua Rom. Pontifex, potius quam Antiochenus, aut aliquis alius, succedat, ex facto Petri ortum habuit, non ex prima Christi institutione. Nam potuisset Petrus nullam sedem particularem sibi unquam eligere, sicut fecit quinque primis annis, et tunc moriente Petro, non Episcopus Romanus, neque Antiochenus successisset, sed is quem Ecclesia sibi elegisset, potuisset quoque semper manere Antiochiae, et tunc Antiochenus sine dubio successisset; quia vero Romae sedem fixit et tenuit usque ad mortem, inde factum est, ut Rom. Pontifex ei succedat.*

Inst. Primatus a canonibus Rom. Pontifici est delatus, nam sic ait can. 28. Concilii Chalced. *Antiquae Romae throno, quod Urbs illa imperaret, jure Patres privilegia contulerunt.* Ergo jure humano primatus competit Rom. Pontifici.

Resp. Nego ant. Conc. enim Chalcedonense nullum novum privilegium Rom. Pontifici tribuit, sed privilegia ei a Christo collata declaravit et definivit, quomodo Conc. Nicaenum definivit Christum esse consubstantialem Patri, ut docet D. Thom. opusculo contra impugnantes religionem: *Ecclesia Romana nullis Synodis constitutis caeteris Ecclesiis praelata est, sed Evangelica voce Domini et Salvatoris nostri, primatum obtinuit.*

CAPUT V.

De Conciliis in genere et in particulari.

§. I. De Conciliis in genere.

Quaeres 1. *Quid est Concilium?*

Resp. Definitur; *Congregatio Praelatorum Ecclesiae legitima auctoritate convocatorum, ad tractandum de rebus Ecclesiae gravioribus, quales sunt res fidei, morum, et disciplinae.*

Quaeres 2. *Quos sunt Conciliorum genera?*

Resp. Quattuor, generale, nimirum, quod universam repraesentat Ecclesiam, et quod oecumenicum vocatur, quando convocatione, celebratione, et exitu legitimum est; *Nationale*, quod regni alicujus; *Provinciale*, quod alicujus Provinciae; et *Dioecesanum*, quod cujusdam Dioecesis particularis repraesentat Ecclesiam.

Quaeres 3. *Cujusnam est Concilium generale convocare?*

Resp. Est summi Pontificis, cui soli competit potestas ordinaria convocandi Concilia generalia. Ita ut nisi Concilium ab ipso, vel ab alio de ejus consensu et auctoritate convocetur; aut saltem nisi convocatio, ab alio facta, ab ipso rata habeatur, non possit esse Concilium generale et oecumenicum. . . . *Ratio est*, quia solus est universalis Ecclesiae caput, Pastor et Princeps, cui soli dictum est Joan. 21. *Pasce oves meas.* Haec veritas in Concil. Nicaeno I. *can. 1.* definita est his verbis: *Non debent praeter sententiam Rom. Pontificis Concilia celebrari.*

Objicies 1. Octo priora Concilia generalia, non a Rom. Pontificibus, sed ab Imperatoribus fuerunt con-

vocata, et tamen habentur ut legitima et oecumenica ergo, &c.

Resp. Dist. ant. Fuerunt convocata ab imperatoribus, auctoritate et consensu Roman. Pontificum, in quibus erant rogati, *conc.*: proprio suo nomine et auctoritate, *nego.* Tali porro usi sunt oeconomia Romani Pontifices, quia sine Imperatorum auxilio non potuissent Episcopos congregare: 1. Quia Legibus imperii cautum erat, metu seditionum, ne, citra Imperatorum auctoritatem, ullus fieri posset hominum conventus. 2. Quia Patres ad Concilium concurrentes indigebant Imperatorum auxilio tam pro securitate itineris, quam pro sumptibus necessariis, quos Imperatores Episcopis, utpote pauperibus, debebant suppeditare.

Objicies 2. Possunt dari casus, in quibus convocatio Concilii generalis est necessaria, v. g. si plures de Papatu contendant, nec ullus velit cedere, nec Concilium convocare; ergo non soli Romano Pontifici competit potestas convocandi Concil. generalia.

Resp. Dist. conseq. Non soli Rom. Pontifici competit potestas ordinaria, *nego.* extraordinaria, *conc.*: porro casus allegatus est extraordinarius, in quo fatemur posse absque consensu Papae congregari Concilium vel per Cardinales, qui sede vacante Ecclesiam Romanam moderantur, vel per Episcopos, motu proprio in unum convenientes, et ideo dixi in responsione: *Potestas ordinaria.*

Quaeres 4. *Quinam sint ad Concilia vocandi?*

Resp. Episcopi, qui soli, *de jure*, habent in Conciliis jus suffragii decisivi tanquam iudices fidei; quia iis solis dictum est Act. 20. *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei;* ergo ad eos solos pertinet munus pascendi et regendi Ecclesiam. Unde soli in Conciliis subscribunt his verbis: *Ego N. Episcopus defunctus subscripsi.*

Dixi in resp. *de jure*: quia de consuetudine vocantur, 1. Cardinales, Generales Ordinum, et aliqui Abbates, quibus ex privilegio S. Pontificis conceditur suffragium decisivum. . . . 2. Theologi et Jurisperiti, sed tantum ut consultores. . . . 3. Imperator, Reges et Principes sed tantum ut Concilii defensores.

Objicies: In Concilio Apostolorum, Act. 15. dicitur: *Convenerunt Apostoli et Seniores videre de verbo hoc;* Atqui per *tò*, *Seniores* intelliguntur aetate proveciores ergo, &c.

Resp. Nego min. Nam per *tò Seniores*, intelligi debent *Presbyteri*; sic enim vertunt translatio ex Syriaco, et translatio Erasmi permessa. Et quamvis non sit certum, an Presbyteri illi fuerint simplices Sacerdotes, an Episcopi, probabile tamen est quod fuerint Episcopi; nomen enim, *Presbyter*, sumitur pro Episcopo, sic 1. *Petri, cap. ult.* dicitur: *Seniores ergo, qui in vobis sunt, obsecro consenior.* Quod si fuerint simplices Sacerdotes, convenerunt ut consultores ad discutiendam controversiam, juxta illud: *Cum magna disquisitio fieret: sed nullo modo apparet quod Laici fuerint vocati.*

Inst. Causa fidei et morum pertinet ad omnes fideles; ergo ab omnibus tractanda est. . . . *Resp.* Pertinet ad omnes fideles, sed diverso modo, nam pertinet ad Episcopos ut Iudices: ad alios fideles ut discipulos; Episcoporum ergo est definire et docere, fidelium vero definiendo audire, et res ab eis definitas credere.

Quaeres 5. *Quid requiritur ad legitimam Conciliorum generalium celebrationem.*

Resp. Requiritur et sufficit 1. ut convocatio sit generalis, ita ut omnibus majoribus Ecclesiae Provinciis innotescat. 2. Ut nullus Episcopus excludatur, nisi sit excommunicatus. 3. Ut ex majori parte Provinciarum Ecclesiae, aliqui adveniant qui caeterorum vota et vices suppleant; ita tamen ut si Concilium celebretur in Oriente, sufficiat multos ex Provinciis Orientis

convenire, et aliquos ex Provinciis Occidentis; si autem celebretur in Occidente, sufficit si multi ex Provinciis Occidentis adveniant, et aliqui ex Oriente, qui caeteros repraesentent.

Quaeres 6. *Quisnam debet generalibus Concilio praesesse?*

Resp. Summus Pontifex, vel per se, vel per Legatos, quibus partes suas commiserit. Nam 1. Solus ex institutione divina primatum obtinet in universa Ecclesia. 2. SS. Pontifices praefuerunt omnibus Conciliis generalibus, quae hucusque habita sunt, excepto secundo, quod oecumenicum non evasit, nisi quia S. P. Damasus illud approbavit et confirmavit.

Objicies: Constantinus Pogonatus praesedit Concilio VI. nam initio actionum ejus legitur; *Praesidentis eodem piissimo... Imperatore Constantino;* ergo, &c.

Resp. Dist. Praesedit praesidentia honoraria, non vero praesidentia auctoritativa.

Quaeres 7. *Quid requiritur ad legitimum Concilii exitum?*

Resp. Quatuor: 1. Ut Episcopi convocati habeant suffragiorum libertatem... 2. Ut nullus a Concilio excludatur qui audiri voluerit... 3. Ut adhibeatur humana diligentia in inquirenda veritate, quia cum Episcopis in Concilio congregatis non fiat nova revelatio, debent in purissimis Scripturae et traditionis fontibus detegere quae habent fidelibus proponenda; ad hoc autem requiruntur studium, collationes, disputationes, &c. 4. Ut Concil. approbetur et confirmetur a Rom. Pontifice, juxta cap. *Significasti*, de elect. ubi dicitur: *Omnia Concilia per Romanae Ecclesiae auctoritatem robor accepisse.*

Quaeres 8. *Utrum Concilium generale perfecte oecumenicum sit infallibile in fidei et morum controversiis definiendis?*

Resp. Affirm. 1. Quia universam repraesentat Ec-

clesiam, quae in controversiis de fide et moribus est infallibilis, cum sit *columna et firmamentum veritatis*....

2. Quia definitio Concilii est ipsamet definitio Spiritus Sancti, juxta illud in Concilio Jerosolymitano assertum, Act. 15. *Visum est Spiritui Sancto et nobis*....

3. Id etiam probatur ex perpetua traditione et sensu Ecclesiae, quae Conciliorum oecumenicorum definitiones ut infallibiles et irreformabiles semper venerata est, quaeque pro haereticis habuit quotquot eorum definitionibus contradixerunt.

Objicies 1. D. August. 1. 3. *contra Maximum*, ait: *Nec ego Nicaenum, nec tu debes Ariminense, tanquam praedicatorurus, proferre Concilium; nec ego hujus auctoritatem, nec tu illius detineris;* ergo &c.

Resp. Nego conseq. Ideo enim sic loquitur D. August. quia Maximus rejiciebat Concilium Nicaenum ut illegitimum, et admittebat Ariminense, quod D. August. rejiciebat; ergo incassum laborassent citando utrumque illud Concilium.

Inst. D. August. 1. 2. *de Bapt.* c. 5. asserit, *Plenaria Concilia a posterioribus emendari posse.* Ergo... *Resp. Dist.* In iis quae sunt facti aut disciplinae, *conc.*: in controversiis fidei et morum, *nego.*

Objicies 2. D. Gregor. Nazianz. *Epist.* 55. ad *Procop.* asserit: *Se nullius Concilii finem laetum et faustum vidisse;* ergo... *Resp.* Loquitur de Conciliis particularibus, in quibus Ariana factio praevaluerat.

Quaeres 9. *Utrum Concilia particularia, nationalia, nempe, et provincialia, sint infallibilia?*

Resp. Non sunt infallibilia de se, ut constat ex Concilio Carthaginensi, in quo 80. Episcopi, sub D. Cypriano congregati, erronee definierunt, Baptismum ab haereticis datum, esse invalidum.... Si tamen S. Pontificis approbatione et accessu, ac Ecclesiae universae applausu sint firmata, sunt infallibilia; quia firman- tur infallibili Ecclesiae auctoritate.

Quaeres 10. *Utrum Concilia generalia sint absolute et in omni eventu necessaria?*

Resp. Negat. Nam variae haereses absque Conciliis generalibus fuerunt damnatae, varia schismata extincta, tum ab Ecclesia dispersa, tum a SS. Pontificibus; tum a Conciliis particularibus S. Pontificis auctoritate roboratis.

Quaeres 11. *An saltem in aliquibus casibus Concilia generalia sint quodammodo absolute necessaria?*

Resp. Affirm. Quia sine Concilio generali aliquoties, neque finis imponi controversiis, neque haereses efficaciter confutari, neque decreta fidei et morum convenienter determinari possunt; ergo quandoque Concilia generalia sunt quodammodo absolute necessaria, ut veritas investigaretur, inventa stabiliretur, omnisque contradicentibus occasio praeriperetur, ait Nilus Thesalonicensis, l. 1. de primatu Papae.

Quaeres 12. *In quibus casibus Concilii generalis celebratio est quodammodo absolute necessaria?*

Resp. Sunt tres. *Primus*, est haeresis nova, non quaecumque, sed ea quae a pluribus, iisque insignibus Ecclesiis propugnata, suo veneno potest magnos inficere populos.... *Secundus*, est schisma inter duos, vel plures de Papatu contendentes.... *Tertius*, est reformatio generalis abusuum, qui in Ecclesiam irrepserunt.

§. II. De Conciliis generalibus in specie.

Quaeres 1. *Quot sunt Concilia Apostolorum certa?*

Resp. Sunt tria Jerosolymis habita. 1. Ad eligendum aliquem in locum Judae proditoris. 2. Ad eligendos septem Diaconos. 3. Pro dirimenda controversia Antiochiae orta de Circumcisione, aliisque legalibus ceremoniis servandis a gentilibus ad Christum conversis.

Quaeres 2. *Quodnam est Concilium generale primum post tempora Apostolorum celebratum?*

Resp. Est *Nicaenum I.* a S. Sylvestro sub Constantino Magno convocatum anno 325. in quo definitum est.... 1. Contra Arium, Verbum esse Deum, et ejusdem essentiae cum Patre.... 2. Pascha debere celebrari die Dominica, quae occurret post 14. Luna Martii, contra Quatuordecimanos, qui asserebant Pascha debere celebrari 14. Luna Martii more Judaeorum.... 3. Extinctum fuit schisma quod Meletius confiaverat contra Ecclesiam Alexandrinam.... 4. In hoc Concilio conditi sunt Canonibus 20. pro disciplina ecclesiastica restauranda.

Hoc Concilium est perfecte *oecumenicum*, sicut et Concilium *Sardicense*, quod Nicaeno I. adjungitur tanquam illius appendix, quia in eo nihil de novo fuit constitutum, sed solum fides Nicaena confirmata. *Primum*, fuit approbatum a S. Sylvestro. *Secundum* a Julio I.

Quaeres 3. *Quodnam est concilium generale secundum?*

Resp. Est *Constantinopolitanum I.* a Theodosio seniore, annuente Damaso Papa, congregatum, anno 381, in quo definitum est, contra Macedonium, Spiritum Sanctum esse Deum cum Patre et Filio adorandum.

Licet hoc Concilium, convocatione non fuerit generale, cum ad illud Occidentales Episcopi non fuerint vocati, evasit tamen generale *oecumenicum*, quando Damasus Papa illius decreta, ad se missa, approbavit, ac ei, cum suo Rom. Concilio, accessit.

Quaeres 4. *Quodnam est Concilium generale tertium?*

Resp. Est *Ephesinum*, a Theodosio juniore, annuente S. Papa Caelestino I. congregatum, anno 431. in quo definitum est, contra Nestorium, unam tantum esse in Christo personam Verbi, ac proinde Mariam vere dici, ac esse Dei-param.... Hoc Concilium est perfe-

ete *oecumenicum*, a S. Caelestino approbatum.

Quaeres 5. *Quodnam est Concil. generale quartum?*

Resp. Est *Chalcedonense*, anno 451. a S. Leone magno, Marciano imperante, convocatum: in eo 1. Dioscorus fuit depositus, eo quod in Concilio Ephesino II. praesidentiam Legatis Rom. Pontificis denegaverit, eamque usurpaverit.... 2. Latrocinii Ephesini (sic vocatur Concil. Ephesinum II.) acta fuerunt reprobata.... 3. Definitum est, contra Eutychem in Christo duas naturas *inconfuse, incommunicabiliter, indivise, inseparabiliter, in unam personam atque subsistentiam concurrere*.... 4. Theodoretus Cyrensis et Ibas Edessenus, qui in Conciliabulo Ephesino a Dioscoro fuerant depositi tanquam Nestoriani, fuerunt in suas Sedes restituti: postquam dixerunt, *Anathema Nestorio*, et subscripserunt definitioni Fidei et Epistolae S. Leonis.... Hoc Concilium est perfecte *oecumenicum*, a S. Leone approbatum.

Quaeres 6. *Quodnam est Concil. generale V.*

Resp. Est *Constantinopolitanum II.* anno 553. a Justiniano seniore, annuente S. P. Vigilio, convocatum.... In eo 1. errores Origenis damnati sunt.... 2. Damnatus est Theodorus Mopsuestenus, et ejus anathematismi adversus S. Cyrillum.... 3. Damna et anathematizata sunt scripta Theodreti, et Ibae Edesseni Epistola ad Marium Persam, sed personis eorum, quae susceptae erant a Concil. Chalcedonensi, nulla inusta est nota.... Est perfecte *oecumenicum*, approbatum a Vigilio Papa, ac a Leone II.

Quaeres 7. *Quodnam est Concil. generale VI.*

Resp. Est *Constantinopolitanum III.* anno 681. a Constantino Pogonato, annuente S. P. Agathone, convocatum.... In eo 1. damnati sunt Monothelitae cum sua haeresi.... 2. Definitum est esse in Christo *duas naturales voluntates, et duas naturales operationes indivise, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfuse*.... Est

perfecte *oecumenicum*, approbatum a S. P. Agathone.

Quaeres 8. *Quodnam est Concil. generale VII.*

Resp. Est *Nicaenum II.* anno 707. a Constantino et Irene ejus matre, de expresso Adriani I. consensu convocatum.... In eo fuerunt damnati Iconomachi, hoc est, imaginum effractoires, restitutusque est usus, et cultus sacrarum imaginum.... Est perfecte *oecumenicum*, approbatum ab Adriano Papa.

Quaeres 9. *Quodnam est Concil. generale VIII.*

Resp. Est *Constantinopolitanum IV.* anno 869. a Basilio Imperatore, de expresso Adriani II. consensu convocatum.... In eo 1. Photius, qui, expulso D. Ignatio a Sede Constantinopolitana, illam Sedem invaserat, fuit depositus, et D. Ignatius restitutus.... 2. Varii conditi sunt Canones ad disciplinam spectantes.... Est perfecte *oecumenicum*, ab Adriano II. approbatum.

Quaeres 10. *Quodnam est Concil. generale IX.*

Resp. Est *Lateranense I.* anno 1123. a Calixto II. tempore Henrici IV. Imperatoris, convocatum.... In eo, 1. Henricus IV. dimisit Ecclesiae omnem investituram per annulum et baculum tradendam; possessiones Ecclesiae ablatas restituit; promisitque se electiones et consecrationes omnino liberas relicturum.... 2. Concessum est Henrico IV. ut se praesentem sisteret electionibus, quae in illius imperio fierent; atque ut electis *Regalia* per Sceptrum regium daret, nunquam vero per baculum et annulum.... 3. Actum est de expeditione pro recuperatione Terrae sarctae.... 4. Varii editi sunt Canones pro restauranda disciplina ecclesiastica.... *Oecumenicitas* hujus Concilii certa est apud omnes.

Quaeres 11. *Quodnam est Concil. generale X.*

Resp. Est *Lateranense II.* anno 1139 ab Innocentio II. convocatum, ad tollendum schisma per *Petrum Leonem* in Ecclesia factum.... 1. In eo Concilio, *Petri*

Leonis, aliorumque schismaticorum acta, sunt recissa.... 2. Damnati sunt haeretici, *Petrus de Bruiis*, et *Arnaldus de Brixia*, cum eorum haeresibus.... 3. Ad disciplinam restituendam varii conditi sunt Canones inter quos Canon: *Si quis suadente diabolo*, est praecipuus. *Oecumenicitas* hujus Concilii certa est apud omnes.

Quaeres 12. *Quodnam est Concil. generale XI.*

Resp. Est Lateranense III. anno 1179 ab Alexandro III. convocatum ad tollendum schisma in Ecclesiam invectum per Cardinalem Octavianum.... 1. In eo, ad vitanda in posterum schismata, statutum est, nullam deinceps Papae electionem fore canonicam, nisi duae partes Cardinalium ad eam conspirent.... 2. Ordinationes ab Anti-papis celebratae, irritae (quoad usum) declaratae fuerunt, et collationes beneficiorum nullae.... 3. Damnati sunt Waldenses et Albigenses.... 4. Canones circa disciplinam fuere conditi, maxime ad usuram et simoniam confodiendas.... *Oecumenicitas* hujus Concilii est certa apud omnes.

Quaeres 13. *Quodnam est Concil. generale XII.*

Resp. Est Lateranense IV. anno 1215. ab Innocentio III. convocatum.... 1. In eo damnatus est liber, quem Abbas Joachim scripsit contra Petrum Lombardum.... 2. Damnata sunt impia et stulta dogmata *Almarici de Bena*, qui transubstantiationem negabat.... 3. Statuta est expeditio pro recuperatione Terrae sanctae.... 4. Inter varios Canones pro morum reformatione, ceber ille, qui incipit, *Omnis utriusque sexus*, conditus est. Hujus Concilii *oecumenicitas* ita est conspicua, ut quoties in jure can. laudatur Concilium Lateranense sine addito, intelligatur Conci. Lateran. IV.

Quaeres 14. *Quodnam est Concil. generale XIII.*

Resp. Est Lugdunense I. anno 1245. ab Innocentio IV. convocatum, contra Fridericum II. Imperatorem: qui erga Ecclesiam Romanam tyrannice se ge-

rebat.... 1. In eo sententia excommunicationis et depositionis in Fridericum lata est ab Innoc. IV.... 2. Renovatum est decretum pro expeditione contra Turcas facienda.... 3. Varii conditi sunt Canones disciplinam spectantes.... Hoc Concil. est perfecte *oecumenicum*, approbatum ab Innocentio IV.

Quaeres 15. *Quodnam est Concil. generale XIV.*

Resp. Est Lugdunense II. anno 1274. a Gregorio X. convocatum.... 1. In eo definitum est Spiritum Sanctum a Patre Filioque procedere, tanquam ex uno; non autem tanquam ex duobus principiis.... 2. Damnati sunt qui de novo *regalia* usurpabant, et qui haec fieri procurabant.... 3. Graecis promissa fuit decima pars bonorum Ecclesiasticorum pro Terrae sanctae expeditione.... *Oecumenicitas* hujus Concilii est indubia.

Quaeres 16. *Quodnam est Concil. generale XV.*

Resp. Est Viennense, anno 1311. a Clemente V. convocatum.... In eo 1. Templariorum Ordo fuit penitus extinctus.... 2. Damnati sunt Fratricelli, Dulcinistae, Beguardi, et Beguinae.... 3. Decreta est nova expeditio pro recuperatione Terrae sanctae.... 4. Editae sunt variae constitutiones pro morum reformatione quae in jure, *Clementina*, dicuntur. *Oecumenicitas* hujus Concilii constat apud omnes.

Quaeres 17. *Quodnam est Concil. generale XVI.*

Resp. Est Pisanum, anno 1409. ad extinguendum schisma quod in Ecclesia excitaverant *Angelus Corarius*, Gregorius XII. dictus, et *Petrus de Luna*, Benedictus XIII. nuncupatus, convocatum ab utriusque obedientiae Cardinalibus, quibus praeerat *Cardinalis Pictaviensis*, utriusque obedientiae Decanus.... in hoc Concilio duo de Papatu contententes, post trinam de jure citationem non comparentes velut contumaces et perjuri fuerunt depositi; atque in eorum locum fuit suffectus Alexander V. qui decreta Concilii approbavit; ideoque est *oecumenicum*. Ordinarie tamen non recen-

setur inter Concilia oecumenica, quia in eo schisma fuit sopitum, non extinctum; nam Alexandro V. uno post sui electionem anno, Bononiae mortuo, in ejus locum electus est *Balthassar Cossa*, dictus *Joannes XXIII.* sicque cum Gregorius XII. et Benedictus XIII. decreto Concilii Pisani non parerent, tres nomine visi sunt Pontifices in Ecclesia, indeque auctum schisma, quod a 30. annis Ecclesiam dissecabat.

Quaeres 18. *Quodnam est Concil. generale XVII.*

Resp. Est *Constantiense*, anno 1414. a Joanne XXIII. ad extinctionem schismatis, et grassantium variarum haeresum damnationem, convocatum.

In hoc Concilio 1. damnati sunt 45. Articuli Joann. Wiclefi Presbyteri Angli; et 31. Articuli Joann. Huss. 2. Hieronymus de Praga, tanquam fautor Articulorum Wiclefi, et Huss, traditus est brachio saeculari, a quo vivens exustus est. 3. Pronuntiata est sententia depositionis in *Joannem XXIII.* qui sententiae acquievit. 4. Admissa est unanimi consensu *Gregorii XII.* resignatio. 5. *Benedictus XIII.* e Pontificatu fuit depositus, tanquam contumax, et schismatis fautor. 6. *Martinus V.* fuit electus.

Quaeres 19. *Utrum hoc Concil. sit oecumenicum?*

Resp. 1. Aliqui volunt illud esse partim legitimum, partim illegitimum; legitimum nempe in iis sess. in quibus damnati sunt errores Joann. Wiclefi, et Joann. Huss; illegitimum vero in iis sess. in quibus definit S. Pontificem esse Concilio inferiorem. Quia illae Sessiones habitae sunt ab iis solis qui erant de obedientia Joann. XXIII. qui jam e Concilio recesserat. Unde non sunt habitae *conciliariter*; atqui *Martinus V.* ea solum decreta approbavit, quae facta sunt *conciliariter*, et non aliter, nec alio modo.

Resp. 2. Aliqui alii docent, Concilium esse perfecte legitimum, decretumque; quod sess. 4. et 5. fuit editum, spectare quamlibet Synodum generalem; atque

absolute definire, *quemlibet cuiuscumque dignitatis, etiamsi papalis existat, debere obedire Concilio.*

Resp. 3. Alii tandem docent, concilium esse perfecte legitimum, sed decretum, sess. 4. et 5. editum, non esse *absolutum*, sed *restrictum* ad illud Concilium, quod tempore schismatis celebratur, quando scilicet, nullus est Papa indubius.

Quaeres 20. *Quodnam est Concilium generale XVIII.*

Resp. Est *Basileense*, a Martino V. convocatum, quae convocatio ab Eugenio IV. qui Martino successit, confirmata est. Coepit anno 1431.

Quaeres 21. *Quaenam gesta sunt in hoc Concilio?*

Resp. 1. Sessio prima habita est sub *Juliano Eugenio IV.* Legato. 2. *Eugenius*, post hanc sessionem Julianum Legatum revocavit, Concilium dissolvit, et aliud Bononiae celebrandum indixit. 3. Non obstante hac dissolutione Patres Basileenses, sub praesidentia *Ludovici Alemanni*, Card. et Episcopi Arelatensis, continuaverunt sessiones, in quarum 1. et 2. definierunt Concilium esse supra Papam. 4. Citarunt Engenium, sess. 12. atque oraverunt, ut dissolutionem Concilii revocaret, quam pro bono pacis irritavit, Concilii continuationem approbavit, atque Legatos iterum misit ad Concilium. 5. Concilium, sess. 18. iteravit decretum de Concilii supra Papam superioritate; quam ob causam Legati *Eugenii* secundo discessere, ac *Eugenius* Concilium transtulit Ferrariam, ann. 1437. quae transiit cum majori parte Patrum Basileensium. 6. Patres, qui Basileae remanserunt, continuaverunt Concilium a sess. 25. ad sessionem 45. in quibus irritaverunt Bullas translationis Concilii, definierunt superioritatem Concilii supra Papam esse veritatem fidei divinae, atque deposuerunt *Eugenium IV.* in cujus locum elegerunt *Amedeum*, Ducem Sabaudiae, cui *Felicis V.* nomen imposuerunt, et qui paulo post ad pacem Ecclesiae dandam abdicavit.

Quaeres 22. *An Concilium Basileense sit legitimum?*

Resp. 1. Conveniunt omnes, illud non fuisse legitimum, sed degenerasse in merum Conciliabulum a sess. 25. usque ad ultimam.

Resp. 2. Circa alias sessiones duplex est sententia.

Prima. Quae in Italia, Hispania, Germania, &c. docet Concil. Basileense, post primam sessionem, factum fuisse illegitimum, nec a *Nicolao V.* fuisse confirmatum, nisi in iis solis quae definita fuerant circa beneficia et Censuras Ecclesiasticas: in aliis vero fuisse reprobatum, tum ab *Eugenio IV.* tum a Conciliis Florentino et Lateranensi V. in quo vocatur *Conciliabulum omni robore carens.*

Secunda. Quae in Gallia propugnatur, docet Concilium illud fuisse legitimum a 1. sess. usque ad 25. quia fuit approbatum a *Nicolao V.* non tamen admititur ab omnibus; nam ipse *Duvallius* Doctor Parisiensis loquens de hoc Concilio, ait: *Hoc Concilium per beneficiorum Pragmaticis tantum recipitur; nec unquam Pontificis calculo, qui ad Conciliorum firmitatem et valorem est necessarius, fuit confirmatum.*

Quaeres 23. *Quodnam est Concilium generale XIX.*

Resp. Est *Florentinum*, ab *Eugenio IV.* ad unionem Graecorum cum Latinis convocatum ann. 1438. in eo definitum est. 1. Spiritum Sanctum a Patre Filioque procedere. . . . 2. Corpus Christi veraciter confici, sive in azimo, sive in fermentato pane triticeo. . . . 3. Animas, quibus aliquid luendum superest in Purgatorio detineri, ipsisque prodesse virorum suffragia. . . . 4. S. Pontificem in universum orbem tenere primatum, &c. . . . est perfecte *oecumenicum*, ut declarat *Eugenius IV.* dicens, suum decretum editum fuisse, sacro approbante *oecumenico Concilio Florentino.*

Quaeres 24. *Quodnam est Concil. generale XX.*

Resp. Est *Lateranense V.* anno 1512. a *Julio II.* convocatum, ad praeveniendum schisma in Ecclesia

imminens per Conciliabulum quod aliqui Cardinales *Pisis* contra *Julium* convocaverant. . . . Huic Concilio praefuit *Julius* usque ad 4 sessionem, quo defuncto, in 5. sessione, cui praefuit Cardinalis *Ostiensis*, electus est *Leo X.* qui caeteris praefuit.

In hoc Concilio 1. Conciliabulum *Pisanum* fuit reprobatum. 2. Actum est de pace componenda inter Principes christianos. 3. Montes pietatis fuerunt approbati. 4. Publicata fuit Pragmaticae sanctionis abrogatio, et pacta inter *Leonem X.* et *Franciscum I.* Regem Galliae concordata, in locum Pragmaticae substituta. 5. A *Leone X.* speciali diplomate fuit confirmatum. . . . *Oecumenicitas* hujus Concilii certa est in toto orbe Christiano, dempta Gallia: quia Senatus et Academia Parisiensis, approbante Clero Gallicano, appellationem ab isto Concilio ad aliud futurum generale interjecerunt, propter abrogatam Pragmaticam.

Quaeres 25. *Quodnam fuit Conc. generale XXI.*

Resp. Est *Tridentinum*, anno 1545. a *Paulo III.* ad damnandos errores *Lutheri* et *Calvini*, convocatum. . . . multa in hoc Concilio circa fidem, mores, et disciplinam fuerunt tractata et definita, quae hic recensere vanum foret, cum hoc Concilium omnium manibus teratur.

Quaeres ultimo. *Utrum Concil. Trident. sit oecumenicum?*

Resp. Est perfecte *oecumenicum*, quia legitime fuit convocatum, celebratum, et a *Pio IV.* confirmatum Bulla singulari, qua illud recipi et ab omnibus observari mandatur.

Dices: Non est receptum in Gallia: ergo &c.

Resp. Dist. Quoad aliqua disciplinae decreta, quae regni juribus et consuetudinibus, ex veterum Canonum praescripto servari solitis, adversantur, *conc. quoad fidem, mores, et caetera disciplinae decreta, nego ant.* Nam fuit receptum non solum in Conciliis

Provincialibus, sed maxime in comitiis Cleri generalibus Lutetiae Parisiorum, anno 1615.

CAPUT VI.

De Locis extrinsecis Theologiae.

Quaeres 1. **Q**uanta sit Doctorum Scholasticorum auctoritas ad faciendam fidem?

Resp. Distinguendum est. Si alii Scholastici dissentiant, etiam in minori numero, non majoris est ponderis eorum auctoritas, quam rationes quibus nituntur: unde expendendae sunt et ponderandae rationes quibus utuntur. Si communiter unam opinionem teneant, eorum auctoritas argumentum subministrat ita probabile, ut absque temeritate non possit rejici: quia in qualibet arte, peritis credendum esse, ratio demonstrat. Si unanimiter in unum dogma consentiant, tanta est eorum auctoritas, ut ei contradicere, si non erroneum, saltem errori proximum sit; quia plusquam probabile testimonium est, sic ferre traditionem, ut docet Canus, lib. 8. de locis c. 4.

Quaeres 2. An ratio naturalis, certa Theologo possit suppeditare argumenta?

Resp. Certa argumenta subministrat, nam. v. gr. ex hoc principio: Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris: certo concludit, ergo non furandum, &c. sed non subministrat argumenta Theologica, cum conclusio Theologica, ex una saltem prop. revelata deduci debeat. Est tamen Theologo utilis, imo et necessaria, quia absque ea non potest exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere. Ratio tamen semper subjicienda est revelationi, velut ar cilla quae subserviat fidei, ait D. Thom. 1. p. quaest. 1. art. 8. ad 2.

Quaeres 3. An Philosophorum placita, certa Theologo argumenta sufficere possint?

Resp. Non posse, nisi firma, ac demonstrativa ratione fulciantur; unde eorum auctoritas ex eorum rationibus pensanda est.

Quaeres 4. Quodnam argumenti genus subministrant historicis fide digni?

Resp. Distinguendum est. Si plures historici fide digni aliquid factum enarrant, probabile argumentum suppeditant, quia imprudens est, qui pluribus fide dignis non adhibet fidem. Si omnes historici fide digni, aliquid factum, nullo contradicente, enarrant, subministrant argumentum certum; quia de facto, quod ab omnibus probatis ac fide dignis historicis, nullo contradicente, refertur, nemo, nisi insipiens sit, dubitare potest.

Quaeres 5. Quanam conditiones requiruntur, ut historicus censeatur omni fide dignus?

Resp. Tres, 1. Ut sit rei quam enarrat coaetaneus. 2. Ut nunquam fuerit deceptus. 3. Ut ipsius non intersit, quod facta sic extiterint, quomodo ab eo referuntur.

DISSERTATIO III.

De propositionum Censuris.

Quaeres 1. **Q**uotuplici modo propositiones pravae damnari solent ab Ecclesia?

Resp. Duplici. 1. In particulari, quando Ecclesia suas singulis notas tribuit. 2. In globo: quando omnes simul damnantur, tanquam falsae, perniciosae, haereticae, &c. nulli suam notam particularem assignando. Quoquo modo autem damnentur, sunt judicia Ecclesiae dogmatica, quae a fidelibus mentis obsequium exigunt.

Quaeres 2. Quid sit propositio haeretica?

Resp. Est ea, quae formaliter et directe adversatur propositioni explicite revelatae, vel implicite revelatae, et ut talis ab Ecclesia definitae?

Quaeres 3. *Quid sit propositio erronea?*

Resp. Est ea, quae opponitur veritati, quam vel universa tenet Ecclesia, quamvis non sit de fide, vel communis Doctorum Catholicorum sententia mediate revelata judicat, licet ab Ecclesia id nondum expresse fuerit definitum.

Quaeres 4. *Quid sint propositiones haeresi proxima, suspecta de haeresi, et haeresim sapiens?*

Resp. Propos. haeresi proxima, est ea, quae maxima cum probabilitate judicatur haeretica.

Suspecta de haeresi, est ea, quae licet aliquo sensu tolerari possit, tamen magna cum probabilitate judicatur haeretica.

Propos. haeresim sapiens, est ea, quae majori cum probabilitate, quam suspecta de haeresi judicatur haeretica.

Quaeres 5. *Quid sit propositio schismatica?*

Resp. Est ea, quae fideles ab obedientia S. Pontifici, aliisque superioribus Ecclesiasticis debita, retrahit.

Quaeres 6. *Quid sit propositio seditiosa?*

Resp. Est ea, quae per se nata est subditos ad rebellionem contra Principes civiles inducere.

Quaeres 7. *Quid sit propos. haeresi, aut schismati favens?*

Resp. Est ea, qua haeretici, aut schismatici, uti possunt, ad suos errores, vel suam inobedientiam propugnandam.

Quaeres 8. *Quid sit propositio blasphema?*

Resp. Est ea, quae Deo, vel Sanctis, est injuriosa.

Quaeres 9. *Quid sit propos. impia.*

Resp. Est ea, quae cultum Deo debitum minuere de se nata est.

Quaeres 10. *Quid sit propos. scandalosa?*

Resp. Est ea, quae per se nata est proximum inducere ad peccatum.

Quaeres 11. *Quid sit propos. perniciosa?*

Resp. Est ea, qua facile possunt deduci conclusiones contra fidem, aut bonos mores.

Quaeres 12. *Quid sit propos. captiosa?*

Resp. Est ea, quae, sub pietatis specie, venenum obtegens, apta est simplicium mentes seducere.

Quaeres 13. *Quid sit propos. male sonans?*

Resp. Est ea, quae licet duplicem habeat sensum, unum bonum, et alium malum, absolute tamen et sine distinctione profertur.

Quaeres 14. *Quid sit propos. piarum aurium offensiva?*

Resp. Est ea, quae aliquid indecorum de Deo, vel Sanctis ejus, profert.

Quaeres 15. *Quid sit propos. temeraria?*

Resp. Est ea, quae absque ullo, aut Scripturae, aut traditionis, aut rationis Theologicae fundamento, a communi Theologorum sententia recedit.

Quaeres 16. *Quid sit propos. falsa?*

Resp. Est ea, quae factum aliquod quod ad fidem pertineat, eique nocere possit, veritati contrarium enuntiat.

Quaeres 17. *Quid sit propos. Verbo Dei contraria?*

Resp. Est ea, quae, licet contraria Scripturae et traditioni, nondum tamen est proscripita ab Ecclesia.

Quaeres 18. *Quid intelligatur per adverbium respective, cum in decreto, in quo plures propositiones damnantur, dicitur eas, esse respective haereticas, erroneas &c?*

Resp. Haec particula, *respective*, significat nullam esse ex damnatis propositionibus disjunctive, in quam non cadat una saltem ex notis, quae in condemnationis decreto referuntur.